



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

41. Cruci affigitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

malâ intentione, alijsve circumstantijs infecta, verè sunt vinum felle mixtum: Quàm rarò nostræ actiones puræ sunt absque imperfectionibus? contrà, nobis propinat Christus vinum meracissimum, corpus, & sanguinem suum, & liquidissimas consolationes.

PUNCTUM III.

**D**Enuo exuitur vestibus, usque ad nudum, in oculis tantæ multitudinis, & petulantium militum, atque irrisorum: fert patienter ignominiam hanc peccatis nostris debitam, præbet exemplum nuditatis Evangelicæ: docet ferre defectus rerum. Hac sua nuditate tegit nuditatem primi Adæ, comparans illi stolam gloriæ. Tanquam alter Noë, meliore vino inebriatus, vino charitatis, à suo populo, quasi filio ludibrio habetur. Nudatio hæc fuit etiam acerbissima, quod interior tunica carni adhæresceret concisæ vulneribus, quæ refricari necesse fuit, & alicubi pellem etiam à carne detrahi.

Ultimò  
vestibus  
nudatur  
& quare.

MEDITATIO XLI.

*Christus Cruci affigitur.*

PUNCTUM PRIMUM.

**E**Xtenditur super lignum Crucis, ad mandatum tortorum: obedienter se locat super crucem, extenditque sacras manus, pro eo, quòd Adam extendit manus ad pomum arboris

Christus  
extendit  
se obedi-  
enter su-  
per cru-  
cem.

H 5

ve-

vetitæ. Extendo ego manus meas ad mandata tua, Domine, & configi cruci malim, quam ab eis recedere.

Gratias agit Patri. Sic extensus, levatisque in cœlum oculis gratias agit Patri, quod tempus adduxerit perficendi sacrificium: tum offert se pro salute mundi in odorem suavitatis. Ita Isaac colligatus super struem lignorum, expectabat ictum paternæ manus, ut modo Christus, impiorum carnificum. Ast ibi Abraham cohibitus est ab Angelo; hîc æternus Pater non cohibet tortores: ibi factis fuit Deo promptitudo voluntatis; hîc autem consummata obedientia postulatur.

### PUNCTUM II.

Transfixio manuum & pedum.

CLavis configitur: dolor acerrimus in corpore delicato, & partibus tenerissimis, & nervosis. Dein verò, quod, manu unâ confixâ, nervi contracti sunt, oportuit vi maxima corpus distendere, quoad foramen in cruce factum manus altera pertingeret: quo factò luxata sunt membra cum incredibili cruciatu; quo spectat: *foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*: nam in exhausto corpore per distensionem illam ossa singula discerni poterant. O verè virum dolorum! O manus, in quibus abscondita est fortitudo Dei! O Jesu, quæ sunt plaga istæ in medio manuum tuarum? quis ausus tantum facinus? Ego: perversa mea opera foderunt manus tuas, & inordinati affectus tuos pedes perforant.

Con-

Convulsio ossium in mystico Christi corpore efficitur per animorum dissensionem : absit à nobis. O, si dinumerare mihi liceat omnia ossa tua, Domine ! si internas tuas virtutes illuminatis oculis aspicere, ad imitandum ; quid retribuam Domino vicissim ? *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis est tibi ?* Vires impendunt omnes, ut laudem te & uni tibi serviam, quia tu solus es. Noli, ô homo ! oblivisci Matris, cujus cor audit malleorum crudeles ictus penitus transverberarunt.

### PUNCTUM III.

**E** Levatur Crux in altum, & impetu in paratam fossam demittitur : res doloris plena ; dum sic manus pedesque lacerantur, unde quatuor rivi sanguinis tanquam totidem ex paradiso flumina dimanant, ad irrigandam universam faciem terræ, nec habet ubi caput suum reclinet : nam si ad lignum, spinæ altius infigebantur.

In elevatione Crucis factus est omnibus conspicuus, cum confusione maxima, & plausum dederunt inimici cum ingenti clamore & irrisione, gratulantes sibi. At pias mulieres, & si qui aderant ex amicis, ac, imprimis Matrem, quanto aliter affecit miserabile spectaculum ! Si amici Jobi, viso illo, ita obstupuerunt, quanto major hic, & quanto habitus indignius ! & hæc patitur tui causâ.

ME-